



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De igne, qui visus est de caelo in terra Comitis de Monte, cap. 51.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

**I**N hac septimana, vigiles cuiusdam castri, Comitatus de Monte, sicut veraciter audiui, contra cœlum respicientes, viderunt cœlum aperiri, ignemque de ipso exire, qui ad aërem inferiorem descendens, ad diuersa loca terribiliter satis ac mirabiliter mouebatur, alicuius magnæ rei se portentum ostendens. **APOLLONIVS**: Satis me terret horum oratio. **CAESARIVS**: Adhuc habeo, quod tibi dicam de miraculis terræ.

**I**N diœcesi Treuerensi villa est, cuius nomen est Wanembach: iuxta ecclesiam eiusdem villæ duo homines in Argentifodina laborabant, vnus inferius, alter verò superius in margine fossæ: interim lateribus fossæ collapsis, homo, qui in fundo erat, molibus terræ atque petrarum obruitur; superior verò, cum illis cadens, sic contritus est, vt tertia die moreretur. Vxor autem obruti, putans eum defunctum, Missam pro eius anima celebrari fecit: & quia paupercula erat, nec sufficere potuit ad celebrationes missarum, singulis diebus in ecclesia coram altari pro remedio animæ eius thus incendit, tribus tantum diebus neglectis. Quod cum fecisset per annum integrum, homines lucri causa purgare cœperunt fodinam, cumq; instrumentis suis obruto propinquasset, clamauit ille: Parcite, parcite; massam sic competenter rejicite, vt non obruatis me. Illi primùm putantes fantasma esse, cum vocem eius cognouissent, fecerunt vt postulauerat. Nudatus autem, cum interrogatus fuisset, quomodo in tanto tempore viuere potuisset, respondit: Singulis diebus, tali hora diei, quodam odore aromatico ita sufficienter refectus sum, vt tota illa die, vsque ad eandem horam, neque manducare neque bibere delectarer. In hoc toto anno per tres tantum dies eodem carui, & tunc fame penè mortuus fui. Non tamè exprimere potuit virtutem vel causam eiusdem odoris. Vxor eius de hoc requisita, mox intellexit, quod pro anima eius fecerat, vt prædictum est, omnibus exposuit.